[M]aria Theresia
[...] Princeps

Buchowski Andr. Stanisl. Panegyris epithalamica

SP

M

VTI
PALA
S. R.

T
PO
MAGN
SAMO
C
PA

M. A
Jn Alma U

186

SERENISSIMIS POTENTISSIMIS PRINCIPIBUS SPONSIS,

MAXIMILIANO EMANUELI

VTRIUSQ; BAVARIÆ, *nec non* SVPERIORIS PALATINATVS DVCI, COMITI PALATINO RHENI, S. R. I. ARCHIDAPIFERO & ELECTORI, *LANDGRAVIO LEUCHTENBERGENSI*, BELGII GUBERNATORI, &c. &c.

ET

MARIAE TERESIÆ

POLONIARVM PRINCIPI, MAGNÆ DVCI LITHVANIÆ, RVSSIÆ, PRVSSIÆ, MAZOVIÆ, SAMOGITIÆ, KIIOVIÆ, VOŁHINIÆ, PODOLIÆ, PODLACHIÆ, LIVONIÆ, SMOLENSCIÆ, SEVERIÆ, CZERNIECHOVIÆQ;

PANEGYRIS EPITHALAMICA,

Ad FESTA NUPTIALIA,

A

M. ANDREA STANISLAO BVCHOWSKI, *In Alma Universitate Studij Generalis Cracoviensis, Philosoph. Doctore, Collegij Minoris Profess.*

CONSECRATA.

CRACOVIÆ, Typis Francisci Cezary, S. R. M. Typogr.

SERENISSIME PRINCEPS

ELECTOR SPONSE

Magnitudini operum Tuorum,
quæ in Pannonia, ad Rhenum, & Belgio,
Magne pro Imperio Bellator egiſti;
in maximum Tuæ gloriæ trophæum, aſſurgit
SERENISSIMA SPONSA
MARIA TERESIA
POLONIARUM PRINCEPS.
Legiſti ô ELECTOR, Tuis armis
per tot continuos annos,
victorias & triumphos:
verùmtamen Menſis hic Auguſtus,
auguſtior omni victoriá & triumpho eſt:
quòd talem CEREREM, è Poloniæ campis elegeris;
qualem Belgicæ Provinciæ,
in tantâ bellorum eſurie,
per tot continua ſecula quærere cogitabant.
Menſis unde hic, victoriarum meſſis eſt:
Sed in coronam meritorum Tuorum,

SERENISSIMA SPONSA TUA,
Laurus est Maxima,
contra Europæorum Siderum fulmina secura:
tantùmq; Altitudini Tuæ proderit ad majestatem:
quantùm ex fama sua, Orbi profuit in admirationem.
Incrementum ergo Gloriæ Tuæ maximum,
Lege ô PRINCEPS!
ex hujus anni majestuoso & festivo Opere Tuo;
quo, in plausum & amorem,
Jllam accepisti PRINCIPEM,
quam pro Maximorum Principum meritis,
Regum amor & stupor statuit
JOANNES III. POLONIARUM REX.
Delicium & eloquium Orbis habes;
quod ex triumphato Oriente, & gemitu Europa dixit,
Regali nuper CLYPEO conservata:
in applausum verò Tuum
Tanti REGIS gloriam acquisivisti;
quòd eius Genio Connubium concluseris;
cum Quo, maximi Orbis Principes fædera scripserunt.
Augustum Lechiæ SCVTVM ô PRINCEPS habes!
felicius quondam Ancili cælitùs delapso:
in quo, multorum Siderum Orbis radij,
admirando splendore replicantur.
Proderit SCVTVM hoc,
ut ardores tegere, ita & in flumina ferri natum,
ad sedandam in Flandriæ Provincijs flammam,
jam ante adventum Tuum, à Solari lumine accensam,

in

in quo, per reflexionem radiorum
Magni pro Patria & vicinis Provincijs
Bellatoris JOANNIS,
novum futuræ Serenitatis omen auſpicabimur
tantò validius in opere; quantò auguſtius eſt in effectu.
Inter hos Europæ motus & ferales exitus,
pro conſiliorum pondere & ſtatera
Auguſta Pallas Tibi data eſt:
Quæ licèt in Martiali Regaliq; SCVTO
Sit enutrita,
& arma auitum Sanguinis decus ferat;
Olivam tamen pacis, non haſtam porriget,
Spem optatam tanti ceſſaturi diluvij:
Suadebitq; inter bella pacem,
& ſupra Sortem Principum diſerti oris facundiâ,
admirandâ quinq; linguarum experientiâ
Martem furibundum, ea pietate, Placatura;
quam pro dote domeſtica ſumpſit
à Magna POLONIARVM MATRE
MARIA CASIMIRA REGINA.
Accipis pariter in magnificentiam
Thalami Tui
magnas, Magnæ Principis dotes,
Regiam pulchritudinem, mentem auguſtam,
majeſtatem morum, prudentiam, conſtantiam,
Accipis & Trium SERENISSIMORVM PRINCIPVM
Patrios ſplendores,

PRINCIPIS IACOBI è Pannonia Podolia, Dacia
Martem triumphalem & Europam colligatam:
PRINCIPIS ALEXANDRI, ad Imperium & militiam, Heroicam
mentem:
PRINCIPIS CONSTANTINI, magnanimam futurorum ſpem tro-
phæorum
ut ſupra opinionem communem,
ubi Epithalamicum Plauſum loqui velimus,
ibi in geſtorum trahamur admirationem;
Accipe ô PRINCEPS! in Orbem Tuum avitum
è Poloniæ polo, auroram hanc auguſtam
Splendoris Europæi nunciam,
Sed pro noſtra morum conſuetudine;
qua Principes abeuntes, non aliter acſi diem tranſeuntem dolemus;
Conſolare nos, Lumine
coniunctorum ſiderum Orbis:
ut cum ſcriptorum ingenijs
in gloriæ Veſtræ Solennem feramur admirationem.
Agnoſce ergo ô PRINCEPS!
quo ſenſu in Tuæ laudis Panegyrim vocemur.
Optamus pro Coronide;
ut, ſicut tantorum operum & geſtorum Hæres
Auguſta SPONSA TUA
Cedit Tibi in meritorum coronam:
ita & ad hanc Epithalamici plauſûs pompam
pro vero ac æternæ felicitatis voto
Orbis Tibi ô PRINCEPS!
gloriosa adorea fiat.

SE-

SERENISSIMA POLONIARUM
PRINCEPS SPONSA

Augustæ Tuæ gloriæ
quam è fama meritorum
TVI, & PATRIÆ PATRIS IOANNIS,
pro hæreditate operum accepisti;
totus se quidem orbis inclinat:
in applausum tamen maximum venit Ille:
qui SPONSO TVO est GENTILITIVS.
Votum illi & suspirium
fueras quondam ô PRINCEPS!
inter Martis ferias, & labentem Europæ molem:
nunc verò Præsidium & pretium es.
quod Saluti Civium elegit & æstimavit
MAXIMILIANVS ELECTOR
SPONSUS TUUS.
Ille quidem, inter tot dubios difficilesq; modos,
Te, velut CLYPEVM quæsivit;
Sed simul Coronam Lauream, post Castrensem,
bellicis suis accepit operibus:
ut post triumphatum Orientem
in meritorum suorum acclamationem,
totum traheret Septemtrionem.
In Pannonia vindicata
Martis paludamentum, è cruentis hostium trophæis assumpsit;
ut Christianæ pietatis delicium spectaretur

 cum

cum Quo, captivorum militia solutis compedibus
iret in plausum magnificentissimum.
Tantæ ergo virtutis ideam
Tuo, ô PRINCEPS splendore, fata illuminare voluerũt
hac tempestate temporum;
qua tot urbes inter fumum adhuc,
novum Serenitatis diem,
è POLONIÆ polo
tantorum Siderum conjunctione auspicantur.
Perge igitur ô PRINCEPS!
felicibus, quia Regiis avibus
in illa Orbis Atria,
quæ pro magnitudine trophæorum
IMPERATORVM, ELECTORVM, DVCVM,
GLORIÆ Bavarici Sanguinis,
Mars & Bellona extruxit.
Augustissimas quoq; Domos
BAVARICAM, PALATINAM,
cum ijs Orbem Totum Clypeatum
virtutibus Tuis & Meritis exhilara;
ut pro voto Jagellonicæ Palladis
Sis seculi nostri plausus;
fias pacis optatæ
augusta corona.

PANEGYRIS.

ARmorum ſtrepitus, ac inter fulmina Martis,
Quæ Superûm proviſa diu portenta furoris,
Robore majori, quàm quod Pharſalia vidit,
Hanc in tellurem, funeſtâ clade repellunt:
Solennes ſentire dies! ac gaudia mille
Scribere? præcinctas lauro myrthoq; canendo,
Frontes ferre novas! hilarem, poſt aſpera, vultũ,
Lumina, proferre & ſucceſſus voce probare,
Facundâ! nobis quod Numen! quìs Deus iſthæc
Tempora quis fecit fatis comitata ſecundis!
Crediderim munus, feſtumq; diemq; quietis;
Quo DEA Bellatrix, dubio poſt prælia Iano,
Signavit trabeas, Bellatorumq; triumphos,
Impatiens ſcripſit contentatura Gradivum:
Aut lætas Zephyri metas; Hymenæus ab Euro
Quas condit thalamis, Regali murice pictas,
Vt fractum prorſus ſoletur viribus orbem.
Hic rerum cardo eſt: hic ſenſus: utrumq; ſecuta
Muſa canet, titulos, Faſces, ac Nomina Sponsûm
Et thalamos, Regale Decus, gentiſq; Polonæ
Delicium, Bavaramq; Domum, Sponſiq; trophæa
Sculpta per inſignes urbes potiore triumpho.
Sanguinis auguſtum Genium ſocialibus armis,

Heroas mentes, magnorum geſta virorum
Vniri ſemper; vires ac viribus æquas
Cogimur attoniti mirari; ac inde ſecundis
Auſpicijs celebrare dies; dum fata revolvunt
Felices rerum eventus; quos æqua per omnes
Fama gradus numerat; quos æquo pondere cēſent
Majeſtas, meritûm ſplendor, Faſceſq; Ducales,
Ac æqualis amor populi, ſeu Nominis una
Gloria, per veteres mundi celebrata curules.
Semper enim feſtos, Superi comitantur honores;
Ac animi magni, magnorum nomina poſcunt;
Connubiumq; volunt Genij; quod Marte calente
Atria condecorant, venturæ in ſæcula famæ.
Gemma pudore calet veluti torpeſcit, & altum
Poſcit habere locum, ſi ferro clauſa tenetur.
Aurum per medios ignes vaſtosq; furores
Stare facit pugnam, quærēs ad vota triumphum.
In Bellatorum manibus candeſcere ferrum
Cernimus inſolito caſu; licèt hoc rubigine proſtet
Appoſitum lateri fugienti, bella Gradivi.
Sic etiam thalamis reſpondent ſtemmata, Sponſi,
Signa, pares Aquilæ, ac Hymenæi æqualia Feſta.
Inviſos credo Superos, ſi fœdera ſecum,
Diſcordes animæ ſtatuant; Helenæ quia virtus
Tot quæſita Dijs, tanta & celebrata venuſtas
In pretium Paridi conceſſa, ferocia bella
Trojano finita rogo, cauſaverit olim.
Ylini ſoboles generoſo pectoris auſu,
Herculeum petiêre animum; atq; Macedonis altū
Ro-

Robur & ingenium, quo Bactra Aſiãq; ſubegit.
Sed pariter mentes Superas quæſivit uterq;
Atq; Dionæam ſpeciem formamq; Dearum.
Si nunc ô SPONSI? veſtrum deſcribere tentant
Facundi Lechiæ Genij; ſi dicere poſſint
Sanguinis auguſtũ thalamũ: quem publica vota,
Quem Superi, nobis tanto de cardine rerum,
Cêu quoddam, pro pace, tenax Ancile dederunt:
Ipſe aut quod Mavors, jam bella ac arma peroſus
Suaſit, & optato concluſit munere dextræ.
Tunc cadere in frontes animi, mẽteſque ſupinas,
Coguntur fervore novo; debentque fateri,
Hoc opus Heroum, cêu pignus pacis avitæ,
Eſſe ſub alternis votis ac fædere juſto.
A vobis etenim SPONSI, ſperamus habere
Arma Giganteo, Lido, Thetidiſque furori
Obvia, contra omnes furias; quas Mulciber ictu
Vano Thrax cudit, quas Põtus, quaſve Charybdes
Odryſiæ ſpumant pelagi ferventibus undis.
A, Vobis SPONSI? fortunæ munera, priſco
Sumimus augurio, feſtosque per otia mille
Intramus Ludos; totum qui tangitis orbem,
Faſtis & ſplendore novo; qui Regna thronũque
Europæ, ſocio & potiori jure tenetis.
Nam ſi geſtarum rerum ſpectacula clara,
Aut tot Bellonæ intuear victricia ſigna,
Aut famam commune bonum, vocẽque triumphi
Audiero: toto bellabit robore Martis
Rex Lechiæ, Regumq, ſalus ſperata IOANNES

Arcano quodam genio; quo fœdera dixit
Fortiter Æmonio quondam nocitura Tyranno.
Vincet Dux Bavarûm, Princeps, à Gadibus ipsis
Clavâ provectus, rebus, qui bella secundis
Gessit in insolitis terris, quas Rhenus & Ister
Et Dravus, Savusque amnes, Mosa, Scaldis, & alti
Æstus Oceani, protensi in colla Moreæ,
Distingvunt vario flexu cum Nomine gentes.
Succedet PRINCEPS speciē transgressa Dearū,
Flos Lechiæ, Regalis amor, Regnique voluptas,
Vnica Sauromatum Princeps, ac Filia Regis,
Ætati in pretium nostræ, quam Fata dederunt;
Vt scenam belli, tantos mundique labores
Clauderet hoc Thalamo, seu dulci fœdere Regū.
Vosque pari decorāt SPONSI! splēdore vetustas,
Par virtutis honor; gentis par gloria; Martis
Spiritus augustus; par gratia; dicere jura
Gentibus æqualisque animus, frontisque serenæ
Ardua majestas; ac mentis amabile pondus;
Vos sociant supra sortes, humanaque fata
Attollunt; ut miremur Regumque Ducumque
Arcanâ Superûm sociari Nomina lege.
Verùm non isthæc Hymenæus carmina poscit
Tantùm; ut fatorum sortem Divumque favores
Eventu belli facili, pacisque futuræ,
Hoc Thalami Festo veneremur. vel quia supra
Augustas animi dotes, magnosque triumphos
Par meritûm splendor, famæ par gloria surgant.
Semper enim spectat Divos pro munere sueto
Ad

Ad populi plausum moderari Nomina Regum.
Sed quoq; gẽtis amor, magnorũ & fama trophæûm,
Quîs magni Fasces generosaque Nomina vivunt,
In Lechiæ Bavarûmque solo, conamine justo,
Et quæsita pari genio, per prælia Martis,
Ad plausum nostrum spectant; & munere quodã
Inuitant socio populum, veterique per urbes
Ritu, conscribunt celebrantis festa juventæ.
Pertinet ad pompam thalami conjunctio felix
Sanguinis, in Lechiæ Solio spectata, recensque
NEVBVRGI pretiũ IACOBO Principe dignũ,
Quod Regum scripsit sanguis, primusque Senat⁹
Arbitrio petijt certo, Regnantis ab Arcto;
Cedat ut in Patrios Fasces, ac jura Paterna.
Hinc quoque Fortunæ votis, solatia magna
Sumimus, alternoque modo suffragia gentis
In vitæ cursum geminamus; & ordine miro
Heroum mentes Regumque reciproca festa
Cernimus, in thalamis, Solio, famâque Dearum.
Sed nũc principiũ facio, Tibi Maxime PRINCEPS,
Maxime Germanæ gentis; Qui primus ab oris
Quas modo Rhen⁹ alit, medi⁹ quas perfluit Ister,
Imperio es terrâque potens; sed fortior armis
Europæ Heroes inter; Qui Cæsaris arma
Teuthonis & Martem primævo jure gubernas,
Et Bavarûm Belgiq; Solum cum gẽte propinqua
Dirigis; & decus Hesperium, Fasces, Soliumque
Sanguinis arbitrio tangis cum lege futura.
Si Tua gesta, velim sueto describere ritu,

Men-

Mentēque Heroam; multùm mirabere, quænam
Pars cedet meritis; quis honos, quæ cura Maronis!
Si partem tacuiſſe velim; quodcunque relinquā
Majus erit: veteres actus, bellique recentis
Proſequar ingentem famæ rerumque triumphū.
Scilicet inſignes animi dotes, Martēq, Domūque,
Teque Ipſum, Laudēque Tuā cœleſtibus æquā,
Invictumque animum, decertatoſque labores
Pro Patria, ac Aris, ac pro diſcrimine ſummo:
Vnde Tibi pietas ac Major gloria Martis
Surgit, & innumeris votis Te prædicat uſque.
Gratia, Te, nāque ô PRINCEPS; ac rebꝰ agēdis
Innatum Imperium, robur, clementia facti,
Iuſtitiæque vigor, moderato pondere Martis,
Gloria Semideî Majeſtas, bellica virtus
Et pacis conſulta quies, prudentia demum
In titulos Faſceſque vocant, ac Nomina Divûm.
A teneris etenim PRINCEPS! verſatus ad arma,
Magnam ſpem belli, de Te, velut omine certo
Firmâſti Imperio, jam tunc; dum Rhenus acerbis
Fluctibus, in vada ſurrexit; Bavarûmque per arva
Effudit tantos belli paciſque labores.
Aſt, alio poſtquàm Mavors aſſurgeret auſu,
Ac in Pannoniæ faceret nova bella tumultu;
Tunc Tuus o PRINCEPS animus, pro Teuthonis (aris
Exarſit, motos ut jam compeſceret ignes.
Quis tunc conſilij ſenſus? quis Martius ardor?
Aut quæ proviſi fuerat prudentia belli?
Clauſa, bifrōs equidem tenuit tunc oſtia Ianus,
Tran-

Tranquillusque fuit, Pelagi Neptunus in undis:
Sed miri motus! miri sed fata furoris,
Tot Procerum fractis nondum saciata trophæis,
In tot pacatum duxerunt prælia mundum.
Tu, PRINCEPS! armare Tuos, legemq; futuro
Scribere cepisti bello, qui justiùs arma,
Sumere, defenso voluisti jure Quirinûm.
Ast hæc, sunt tantùm cepti primordia belli.
Mox ubi Sanguineas retulit Bellona secures,
Clangentesque Tubas; quales ferventibus auris,
Edidit Odrysius funesto murmure Biston.
Terruerant tunc illa satis præsagia plebem,
Pannoniæ celebres urbes ac rura colentem.
Impetus hic pariter commovit Cæsaris arma;
Fortior, ut contra tot fulmina, robore Regum,
Stare queat; viresque novas conscriberet, atque
Innumeras acies transiret Marte Alemanno.
Viderat augustam mentem, fortemve cohortem,
Magnanimũve animum Cæsar; dũ castra, furores
Insolitos cecinêre Deûm; manifestaque belli
Signa, dedit mundus; dum turpi, fœdera clausæ
Pacis confregit Bistonia Porta tumultu,
Indixitque nefas, tanto jam sanguine pastum.
Viderat ipse orbis, qui tunc sub sorte patente
In dubiam prorsus scenam, luctumque vocatus,
Convenit ; quæ Tu Princeps! pro viribus Ipse
Egeris ante Vrbem (rerum proh facta!) *Viennam*.
Tu fessos armare animos, generosaque gentis
Pectora mandâsti, scriptis, sociatus & Ipse

Viribus Imperij, junxiſti Principis auſus.
Pugnâſti Miles veluti, nec prælia tanta
Dixiſti; quæ non Bavarûm ſint enſe ſoluta.
Tu vivax, hoſtem, contemptis mille periclîs,
Fortior accedis; Geticam campeſtribus aruis
Iram Stare jubes, rabiem, furiaſque Gelonum,
Immaneſque auſus, felici Marte repellis:
Militiamque Tuam, quæ tunc poſt arma Polona,
Robore plus valuit, firmaſti fædere pulchro;
Vt tantas Aſiæ vires roburque ſtupendum,
Ac ignes, immane nefas, furibundaque cuncta
Sperneret, ac animo Bavarûm pugnaret avito:
Audaces Lechiæ vires nunc cerneret atque,
Quomodo contemptâ vitâ cum Byſtone diro
Decertare velint, ſtrictis ad prælia dextris.
Tu Regem Lechiæ charis amplexbus, atque
Læto votorum eloquio complexus; ut omne
Odryſium robur tanto jam fædere fractum,
Vlteriùs celeri bello deperderet. Hoſtem
Vindice mox clavâ Tu PRINCEPS! Ipſe ſecutꝰ
Et clypeis galeiſq; virûm ſpirantibus iram,
Pellis ab Auſtriacis, Thracum tot prælia campis.
Hic fuit ille dies primùm, quo funera luxit
Pontus & Æolij fratres, quo fulmina contra
Byſtonidum Lunæ, flammas Stygioſq; furores,
Inſignes lauros poſuerunt Cæſaris arma.
Vltra profectus, Turcamq; per àëra ſparſum
Ac dubias Hunnûm ſedes, per concava demum
Littora, per flexus varios, ſuetumq; latere,
Ad

Ad *Parkan* tandem collectum robore firmo,
Mox victum, Lechiæ in plausum, Regalib' armis,
In nova damnâsti belli pro more trophæa.
Strigonio capto colles fecere quietem:
Sed juga tanta, Tuo nondum saciata Gradivo,
In ceptum Martis voluerunt surgere plausum.
Nam totum terræ tractum, quem dissecat Ister
Persusus longè & latè, dimensus es armis,
Victor ubiq; potens, veniens ad mænia *Budæ*.
Noverat hîc Martē PRINCEPS! ac robur Erinnys
Clausa suis antris, squallens & rupe sub ima,
Excutiens furias, gemitusq; ferocibus armis:
Quam vix insultu, poterant, tāta arma, bimestrî
Extrahere, & Ponti svetas propellere in undas.
Noverat Heroam mentem Germana propago
Tot selecta viris; quàm tunc ad mænia, totis
Viribus, ante alas Vrbis, pugnaveris Ipse!
Nunc animare viros, nunc hosti conscia vota
Dicere, ut à tantis fugeret conflictibus; arma
Nunc versare manu, nunc clavam vertere, visus,
Nunc inter fossas, nunc inter tela, globosq;
Ignitos fueras, dubio discrimine pugnæ;
Nec requiem dederas, donec victricia signa,
Captâ Mars Bavarûm tandem fixisset in Vrbe.
Albæ Regalis sileo campestria signa
Ac *Agriæ* colles, *Vaciæ* Mavortia prata,
Et *Vivar*, *Siclos*, *Segedin*, *Sacraria quinq;*,
Zolnok & Verovits, munimina relliqua gentis,
Atq; *Novas Arces*; *Debrecinum*; quidve Tibiscus

Intra Danubij ripas hinc perfluit, una,
Partibus, ac aliâ, quidquid Rab, Drav⁹, & ipsi
Amnes famosi, dubio sub Nomine, priscûm
Pannoniæ terræ perfundunt, atq; locorum:
Zygeth & *Colocam*, sileo quoq; fortia, captæ
Mænia *Canizæ*, & sexcentas Pæonis arces,
Quas belli referet meliori pagina censu.
Nec memoro PRINCEPS! tanti munimina Regni,
Aut tot difficiles cursu, dubiosq; viarum
Tractus, tot populi insidias, nemorũve cavernas,
Totq; venenoso spumantia flumina rictu:
Omnia vicisti contemptis viribus ista;
Et robur, Martemq; Tuum, felicibus armis,
Ad portas Essek graviori ponte reclusas,
Duxisti felix; armâsti in prælia natam
Militiãq; Tuã; quo animo? quo robore? vel quo
Imperio? castra id viderunt, sensit id hostis.
Vna dies fecit tantorum funera Thracum,
Qualia nec Medus, Parthi, nec Persides ipsi
Quondam luxerunt victi, Stiliconis ad arma.
Illa dies, geminos belli Tibi præstitit usus;
Abstulit excursus; quales tunc miserat hostis:
Fecit & auxilijs aditus: sic libera Regni
Ostia permisit meliori munere. Tandem
Hoc belli eventu, reserâsti limina gentis
Romeliæ, Pontesq; novos, munimine facto,
Supra hoc Diluvium, firmâsti; littora demum.
Præsidio sveto mandâsti tuta teneri.
Tunc colles vastumq; Solum, penetralia Gentis
Scla-

Sclavorum, Regnum quondam Stilicone beatũ,
Regnum, quod pulsis Gothis hîc condidit olim
Sauromatum Sanguis; felici Marte Tuorum
Intrâsti, ac Regni Sedem, quam Rascia primam
Vendicat, assaltu *Posegam* virtute secunda
Cepisti, Savumq; amnem tot fluctibus altum
Iunxisti Imperio; tandem quo confluit usq;
Castella & Arces, tantæq; propaginis omnem
Gentem, tutelâ facili complexus; & inter
Tot dubios animos, firmam sub Cæsare vitam
Dixisti, spem securam spondentibus armis.
Vrbem *Belgradum* demum post ultima rerum
Nomina, cinxisti castrorum limite tuto.
Hîc avidos belli rapuit fortuna labores,
Ac in præcipitem scopulis & fluctibus Arcem
Vltima collegit Biston sua fœdera gentis.
Tu PRINCEPS! altis diffusum collibus hostem,
Robore vicisti meliori; ac mænia tanto
Tunc defensa foco, violento Marte capessis;
Vrbem, Romeliæ limen, Regumq; cubile
Intras, Pannonici statuens pro fine triumphi.
Hæc inter rîgidi felicia tempora Martis,
Magna quibus victor gessisti prælia; vincis
Cæsaris augustam mentem; primæq; favores
Principis, in thalamum, vicisti fœdere primo:
Et gener Augustis olim Socer ipse futurus
Connubio firmas, tantæ Virtutis amores.
Vicisti pariter victores Pannonas ipsos;
Postquàm, Regalem pro descendentibus olim

Principibus ſtirpem, firmatam jure perenni
Audîſti, plauſu, votis, ac legibus illis;
Quîs Rex IOSEPHVS Regni pro more Paterno
Poſonij Solium & Faſces aſſumpſit avitos.
Quare pro tanto Regni Diademate gratus,
Quod Fortuna, Tuis meritis tunc condidit inter
Tot concurrentes plauſus, & jura Gradivi;
Pannonicum regimen, cataphracto milite lectum,
Regi IOSEPHO ſcripſiſti, fulmina contra;
Littora quæ Rheni feriebant Solis ad ortum.
Sed quoq; Vindelici, pro Majeſtate Senatûs,
Quò tunc Electi Proceres ſub ſyrmate Regum
Convenêre, novæ facturi munia legis,
Vt tantos inter belli paciſq; triumphos,
Cæſaris auguſto ſuccedat Filius ævo,
Theutonis & Faſces, Romano jure Supremos
Sumat pro meritis, Magni Solamina Patris:
Hîc Princeps fueras; tanto qui pondere firmam
Imperij molem ſociato Marte tenebas;
Qui Regale Decus faſtis jam pone perenne,
Auſtriaco Solio firmâſti lege Gradivi.
Hæc Tua sũt PRINCEPS! operũ ſpecioſa trophæa
Quæ Tibi bellorum Mater paciſq; Noverca,
Pro tantis meritis, poſt tot Mavortia geſta,
Pannonico ſtruxit plauſu, ſtatuitq; triumpho.
Belgica non minor eſt tantarum gloria rerum,
Quas hodie uſq; geris curâ graviore Gradivi.
Nam ſi bellorum ſtrages, ac robur utrumq;
Inter tot motus Regnorum, totve furores
Ho-

Hostiles conferre velim; tunc illa minora
Sunt, quæ Pannonicus Mavors monumēta peregit.
Censet ad insignem, quoniam victoria plausum,
Commoda terrarum spatia; intervalla locorum,
Suppetias faciles, victum, passusq; viarum,
Vnitos animos, hostilia castra, situmq;,
Et quidquid demum Mavors pro munere cōfert;
Communem plausum victoris, spectat id omne.
At nunc ó PRINCEPS! vellem si prælia possent
Belgica profari, si colles, flumina crebra,
Aut Vrbes, Bavarûm defensæ Marte, tot atq;
Terrarum tractus, alia & monumenta Gradivi,
Gesta per immensas acies, si dicere vellent;
Inq; Tuæ laudis possent assurgere plausum.
Tunc quantæ voces fierent! aut quanta venustas
Cederet eloquij, festo pro carmine vatis!
Vidi ego Te PRINCEPS! inter squalentia bello
Signa, per insuetos campos tot cædibus amplos,
Consultare diu; centum disponere turmas
Majestate Ducis; tutari castra secundo
Milite; victores animos compellere; pugnam
Prospicere; ac acies formatas, obvia demum
Tela, & equos, vexilla, viros, ensesq; cruento
Vincere & Imperio: quanto fervore triumphi?
Iudicio? & quo consilio? quo munere belli?
Inter tot motus dubios, fata ipsa loqvuntur;
Æstimat & hostis famam, simul atq; veretur.
Noverat Hesperiæ Princeps, Tua Martia gesta;
Nec fore Belgarum, tutam cum gente salutem.

Contiguâ,niſi Tu PRINCEPS! tot caſtra teneres,
Ac urbes Belgiq; ſolum; quod jure gubernas
Sanguinis, & pretio conceſſo dotis avitæ:
Et Batavos pariter Regali fœdere junctos,
Ire per ambiguam Sortem; niſi Gentis utrumq;
Et decus & robur, pro Majeſtate teneres.
Sed quidquid, rebus geſtis Tibi gloria cenſet;
Id quondam dignis faſtis, tituliſq; vetuſtas
Nectet in æternæ, Decus immortale coronæ.
Nunc ſi Regalem Stirpem ſplendoribus amplam,
Sanguinis auguſti pretium; Nomenq; Domumq;
Et Faſces, Seriemq; Ducum, primoſq; Senatûs,
Veſtros, ô PRINCEPS Electoralis, honores,
Scribere Muſa velit! mavult tunc victa teneri,
Mancipijſq; Tuis jungi, tot facta ſtupendo.
Octo, Cæſarei Solij ſub ſyrmate Reges,
Imperium numerat, Bavaro de Sanguine cretos.
Aſt Electores, Belliq; Duces, Palatini,
Purpureiq; Patres, quantis annalibus inſint?
Ingens fama ſtupet, magnis celebrata trophæis.
Sãguinis ergo Tui,PRINCEPS! hæc gloria, pri-
Europæ Reges ſpectat; qui fœdere juncti (mos
Ad Solium de Stirpe Tua Solatia ſumunt.
Delicias, auguſta Soror Tua, Nomine PRINCEPS
Auguſto Major, Gallorum Faſcibus, atq;
Lilia Terna tulit, Proavorum exempla datura.
Magna Tui plausûs pars FERDINANDVS ha-
Princeps Elector,decorat quem ſede *Colonæ* (betur
Magnus honor; noviter cuî ſacra *Leodia* Faſces

Contu-

Contulit, & primò concessit jure Cathedram;
Quem tot virtutes celebrant, longèq; probatum
Fata hominum supra, reddunt cœlestibus æqvum.
Talibus ô PRINCEPS meritis documenta dedisti
Tot rerum belli; tot campos excoluisti
Marte Tuo atq;armis: votis sed nullibi tanta
Messis erat; qualem Tibi nunc Sarmatia confert.
Hîc legis augustos SPONSÆ cũ messe triũphos,
Accipis & Cererem, Augusto pro Mense, Serenã,
Progenitam Augustis, Augustorumq; Sororem.
Hæc Tibi Laurus erit meritum, Scutũve Gradivi,
Ac operum tot gestorum, speciosa coronis.

Hactenus armorum laudes: nunc qualibus orbem
Exhilarant meritis SPONSI, post munera belli
Musa canet. Cedit sed nunc hæc pagina laudis
SPONSA Tibi PRINCEPS! titulos trãsgressa Dearum,
SPONSA throni Lechici, Regalis gẽma coronæ!
Vnica spes populi, Regni spectata Voluptas!
Virginei cetûs splendor; magnumq; trophæum
Rerum gestarum, mundi post vota, IOANNIS:
Primus Amor! magnũq; Decus! seu Gloria Matris;
Atq; Triũ, Regni, Soror unica Principũ, honorq;
Lechiadum, cepti belli sperata corona.
Tu PRINCEPS. famam cõples virtutib' omnẽ
Fortunam meritis vincis, præconia demum
Laudibus exsuperas, numerans in dote triumphos.
Nam si Majestas vultûs, frontisq, Serenæ
Candor, & innocui, mentis spectentur amores;
Si facies formosa genis, ac libera gestûs

Gratia se pandat visûs decorata favore;
Aut pietas, bonitas animi, prudentia rerum,
Fortunæ Majoris honor, virtutis idea
Pulchrior; & roseo stillans sermone venustas;
Sic quidquid natura tenax, nũc sparsit in omnes;
Id totum comples: & quæ divisa, beatas
Efficiunt, collecta tenes velut una Dearum.
Te PRINCEPS! Superũ votis nũc fata dedêre;
Vt Lechiæ gentis famam, per Regna propinqua,
In pretium portes augusti Nominis; atq;
Sis meritûm splẽdor, fama ac æterna IOANNIS.
Fortunæ res tota stetit, quam nullus in orbe
Par vatum genius loquitur, quam secula nostra
Ipsa stupent; postquàm totum compleverat orbẽ
Gestorum serie, pro Cæsare & Vrbe Vienna,
Rex noster: tunc ô PRINCEPS! sperata futuri
Laurus eras campi; tunc jam promissa trophæis
Principibus fueras; quorum sed maxima gesta
Florerent bello ac armis, spectante IOANNE;
Tunc Superûm genio, Tibi jam Sponsalia fecit
Vivax Mars Bavarûm: pulchræ virtutis honores,
Ætatisq; Tuæ teneræ, servavit ad ista
Tempora, pro meritis, & pro solamine Regis.
Censuit insignes quot tunc Victoria lauros;
Totve Duci pariter cecinit fortuna favores.
Te posuit fesso, veluti Bellona Quietem
Mundo, Spem pacis, post tot discrimina belli,
Tanti diluvij finem; quem frondis olivæ
Arbusto referes ferali sorte probatum.

Re-

Regalem Clypeum, quem pro solamine quondã
Orbis adoravit; specioso, sidera vultu
Respicient; Mars ipse, Tuis augustior armis,
Ibit, in optatæ, post Ianum, templa quietis.
Vnde Tuæ Laudis, quamvis satis ampla probetur
Gloria; quòd Superûm formam; specieq; Dearũ
Portes, humanumve Decus; quòd pulchrior astro,
Oebalijsq; Deis, excedas lumine flammæ:
Te tamen ô PRINCEPS cõmendant gesta IOANNIS;
Commendat Magnæ, prudentia maxima Matris;
Quam Patriæ Matrem, tot votis totve trophæis
Lechiadum populus celebrat, dictante Senatu.
Hæc inter Patriæ curas, felicior omni
Ævo, tot monumenta statûs, tot pondera rerum
Dirigit, augusto genio; totumq; Polonæ
Imperium gentis tenuit; dum bella moveret
Rex extra fines Regni: dum Taurica tellus
Et Geticus Scythicusq; furor terreret acerbo
Fulmine; tunc lauros pacis Regina salubri
Consilio, ac armis, tot motus præstitit inter.
Ergo vides PRINCEPS! quãtũ Tibi debeat orbis!
Et quos in Fasces venias, quos atq; triumphos
Connumeres, cum dote Tua, formâq; Dearum:
Perge igitur Felix, mansura in fædera PRINCEPS:
Perge, per augustas orbis, jam SPONSA Curules
Ad thalamum SPONSI; per avitos perge triũphos
Ad Solium Belgl, Bavaræ & munimina Gentis.
Perge, novo plausu, cœtu comitata Dearum,
In tot terrarum vota ac Palatia Regum,

Per-

Perge, triumphorum numero, plaudēte Gradivo,
Nomen & auguſtos Faſces viſura IOANNIS.
Te Regalis honor Lechiæ, Te geſta ſequentur,
Vrbes aſſurgent in plauſum, publica dicent
Vota, quibus vivunt tutam inter bella ſalutem.
Te fortuna vehet gentis ſplendore, ſecundis
Auſpicijſq; feret, per tot compendia famæ
In Trabeas, Faſcesq; Ducis Regalibus armis.
Perge modò, non hæc equidem Te Nomina fallēt
O ſpes Belgarum! Batavûm Fortunaq; PRINCEPS
Te Cererem dicet Mavors formoſior armis;
Neptunuſq; ſuis cum puppibus, ibit ab undis,
Lætus in occurſum; quòd poſt tot ſecula, Sola
Frugibus è Lechicis venias optatior inde.
Augebis Batavorum arvis tot jugera meſſis;
Implebiſq; Solum Belgi, campoſq; maniplis;
Quæ numeras æquo, tantarum pondere rerum
Divitias; dotem, famam, belliq; triumphos.
Princeps IACOBVS, Regali Syrmate cinctus
Conducet Votis, meritis addetq; triumphos;
Clara foris, ſpectata Domiq; exempla Gradivi,
Sanguinis & Nexum; feret auguſtæq; Sororis
Hoc Decus, & pretium toto felicius orbe.
Te, pariter Princeps, lætis amplexibus inde
Cinget ALEXANDER, jungetq; ad munera Sponſæ,
Imperij famam, devicto Oriente, futuri.
Et CONSTANTINUS Princeps, cōſtātia mundi
Omina conjunget de Te, votiſq; ſecundis,
Mille animis, Regni ad fines comitabitur inde.

Te

Te Primi Patriæ Procerēs, totusq; Senatus,
In sua vota ferent; ac tantæ Principis Armis
Prosternent clypeos, Regni famosa Trophæa.
Vrbes, Castella, ac Arces, & relliqvus ordo
Plausibus insignem facient pro munere pompā;
Votis optabunt, ut tanto in cardine rerum
Vivas; atq; Tuæ Lechiæ, sis fama perennis.
Perge igitur PRINCEPS! mansura in fædera mundi:
Ac ubi conatus rerum, cum carmine vatum
Succumbet; referes Lechiæ meliore triumpho
Nomen & augustos Fasces, Nomēq; IOANNIS:
Hoc, erit in plausûs pompam festumq; Hymenæi;
O amor! ô Lechiæ Decus! unica Filia Regis!
Ast ô Elector PRINCEPS! qui fædera mundi
Emeritis electa refers, qui Sidus avitum
Cardinibus Lechiæ ève polis, splendorib' altum
Legisti; inve Tui *Mundi* tanta Astra locâsti;
Auroram, tantæ Lucis cum Principe SPONSA,
Adventare vide, stellas, orbemq; Polonum,
Orbi conjungi Bavaro; tot Lumina, festo
Connubio portare faces, ignesq; diesq;
Ac orbem totum in thalami consurgere plausum.
Aspice quàm Thalamis Vestris assurgere Musa
Grata velit, tantumq; diem memorabile supra
Augurium Lechiæ votis celebrare secundis.
Ingratos animos & quos livore rapaci,
Invida tot rerum facies succensuit orbi
Confundunt Superi, vinctos fortuna profano
Ordine constituit; gemitum ne fabula narret:

Nam SPONSI! Thalamum Vestrũ Bellona beatis
Protulit auspicijs, ut fesso Marte quietem,
Armis imponat, quæ per tot bella calenti
Defecit ferro, Clypeato gratius orbe
Præsidium referens, augusto Sanguine felix.
Vivite nunc igitur magnorum Fædera Regum,
Vivite Io SPONSI! Vestrum jam censeat orbis,
Sangvinis hoc Prètiũ; Quo, post spectata trophæa,
Fulminibus tanti belli, securior obstat.
Iungite tot palmas, trabeas, Fascesq; perennes
Et titulos Regum, tanto cum pondere rerum;
Quas debellatæ gentes ceu signa verentur
Imperij, Vestris quondam cessura theatris.
Iungite tot rerum splendores, totve triumphos
Connubio Vestro; totum Qui sumitis orbem
In pompam plausûs, veluti post prælia censum..
Vobis vota damus, Magnorum Fædera Regum!
Vt Thalamum Vestrum cœtu Fortuna Dearum
Felicem faciat; quem clarum Martia gesta
Fecerunt orbi, Vobis suspiria solvat
Festus Hymen; Vobis expectatiq; per annos
Vberiore Tori veniant cum messe triumphi.
Vivite felices! Quos post tot vota Gradivi,
Vt Cecini SPONSOS;
VICTORES Orbis adoret.